



Zu Königlichem  
Leinwand " Bibliothek  
gehörig.

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



SUCCINGTA EXPLICATIO  
*sublimis illius Articuli*

DE

ÆTÈRNA  
FILIORUM DEI  
AD VITAM ÆTERNAM  
PRÆDESTINATIONE,

Ex scriptura & Formula Chri-  
stianæ concordiaë petita.

*Quam*

AUSPICIO SUMMI JEHOVÆ  
IN

*Celeberrima ac florentissima Rosarum Academia*

SUB PRÆSIDIO

VIRI REVERENDI ET CLARISSIMI

JOHANNIS QUISTORPII

SS. THEOL. D. PROFESSORIS ET ECCLESIASTÆ,

P. R. RECTORIS MAGNIFICI & Spectabilis DECANI,

Dn. Præceptoris ætatem venerandi.

*Sobria, piæq; τῶν θεολογῶν subjicit ventilationi*

CHRISTOPHORUS ALTUS

Culmbacensis Francus.

*Habebitur in Auditorio Magno ad diem 6. April.*

ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog. Anno M. DC. XXII.



INCIPIT A PRACTICANTIO  
AD VITAM AETERNAM  
REDESTINATIONE  
FILLIORUM DEI  
AETERNAM

Ex scriptura & Formis Cuius  
Iam concordia dicitur.

Adhuc in hunc diem

Collegium atheniense in Romania Academia

JOHANNIS QUISTORP II

SS. THEOL. D. PROF. ESSORIS ET ECCL. ASTA.

Dr. Theol. Mag. Joh. Quistorp II

Debita hinc ad hunc diem

CHRISTOPHUS ALTHS

Collegium atheniense

Adhuc in hunc diem

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typog. Ann. M. DC. XXII







## Thesis I.



*U*otidiana Augustini, Patris omnium  
seculorum memoria dignissimi, precatio fuit:  
**DOMINE DA NOSSE TE,  
NOSSE ME.** Dignum homine verè chri-  
stiano, quod quotidie fundat, suspirium! In  
his enim duobus totius nostra salutis vertitur  
cardo, quorum verà qui carent scientia, aeterni in Ecclesia  
triumphante regni olim participes esse nequeunt.

II.

*DE* I cognitio hac in vita est tantum enigmatica, teste  
Apostolo 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3. v. 2. Sumus enim ad huc in  
via, nondum in patria; ad huc militamus, nondum plenariè  
triumphamus. Unde eum à priori cognoscere non possumus,  
sed tantummodo à posteriori, quod *DEU* ostendere voluit  
Mosi Exod. 33. v. 20.

III.

Et cum multa sint divina idiomata, ex quibus *DE* I à po-  
steriori cognitionem venamus: inter ea tamen tria potissimum  
ad hanc nos deducunt. I. Inexhausta bonitas, II. Immutabilis  
justitia, III. Ineffabilis misericordia.

IV.

In hominis cognitionem perducimur tres ejus consideran-  
tes status. I. Innocentia. II. Miseria. III. Gratia. In hoc  
*DE* I in hominem misericordia; in illo ejusdem in eundem ju-  
stitia; in isto bonitas maximè elucet.

A 2

Homi-



V.

Hominis & DEI junctim cognitionem nobis ob oculos ponit gravissimus fidei nostrae articulus DE AETERNA FILIORUM DEI AD VITAM AETERNAM PRÆDESTINATIONE; quem qui diligenter & sapicule perpendunt & ruminant, non possunt, quin cum Apostolo exclament: O profunditatem divitiarum Sapientiae & misericordiae Dei! quam incomprehensibilia sunt ejus judicia! Rom. 11. v. 33.

VI.

Hanc doctrinam in compendium referre, & publicae sententiarum collationi subjicere animus est.

VII.

Nec est, quod quis nos id agere tentantes temeritatis arguat, quasi hic silere planè quam loqui sobriè praestet. Cum enim scriptura articuli hujus doctrinam non semel tantum & quidem leviter aut obiter attingat, sed crebrò multis in locis solidè tradat, urgeat & explicet: illa à nobis nullo modo silentij nube involvenda & sicco pede praterenda est. Veruntamen in toto hoc negotio illud, quod D. Petro ascribitur, firmiter observantes: Μὴ δὲν ἀτρέγ. γρηγοῦσ. Conf. Form. Concord. pag. 798.

VIII.

Ad dextram articuli hujus cognitionem cum multum faciat genuinus terminorum, qui in eodem frequenter occurrunt, intellectus, paucis, quid illis significetur, evolendum est.

IX.

Illorum sunt potissimum quatuor. I. Praescientiae. II. Voluntatis, ad quem referimus propositi & decreti terminos. III. Electionis. IV. Praedestinationis.

X.

In Deo cum nihil sit praeiteritum, cujus recordetur nihil futu-



futurum, quod praecognoscatur, omnia ipsi erant praesentissima; & ac proinde in Deo ὡς ὡς, ὡς ὡς ὡς ὡς ὡς ὡς, nihil different, sed erunt unum idemque.

XI.

Ratione tamen obceptorum, circa qua Deus versatur, distinguitur eius scientia à praescientia; ita ut illa dicatur rerum esse omnium; haec verò tantum futurarum, qua licet etiam ei sint praesentissima, tamen quia nondum sunt facta, Deum ideo illas praescire dicimus.

XII.

Hac ratione praescientia Dei à Theologis statuitur triplex. I. Generalis, quae se ad omnes promiscue creaturas, earumque actus, qualitercumque sint comparati, extendit Hebr. 4. v. 13. Esa. 37. v. 28. F. C. p. 798. ita tamen, ut haec Dei praescientia mali nullatenus sit causa. Ps. 5. v. 4. 5. 6. F. C. p. 799.

XIII.

II. Specialis, quae solummodo fideles ac electos Dei Filios respicit, & potissimum in hoc articulo locum habet & attendi debet. Sicut enim praescientia Dei generalis pertinet duntaxat ad intellectum Dei: sic specialis praeter illum includit simul approbationem. Quod manifestè patet ex Rom. 8. v. 29. Quos praescivit, hos & praedestinavit. Hinc: quorum est praedestinatio, eorum etiam est praescientia. Illa verò non est omnium, sed tantummodo electorum. Conf. Job. 10. v. 27. Matth. 7. v. 23. 6. 25. v. 12. 2. Tim. 2. v. 19.

XIV.

Non tamen haec specialis Dei praescientia equipollet, & planè per omnia idem est quod praedestinatio & electio: formaliter enim sumpta inter se differunt, quod liquet. I. Ex ipsis auctore catena gradibus, ubi inferior semper est intelligendus & explicandus secundum conditionem superioris. Rom. 8. v. 29. Quos praescivit, hos praedestinavit: ubi si praescire idem esset



quod praeordinare, τωπολογία inde oreretur, quam Spiritui  
S. absit ut tribuamus. II. Ex 1. Pet. 1. v. 1. 2. ubi dicimur εκ  
λεκτοι κτλ. προγνωσιν θεου πατρος, electi secundum praescientiam  
Dei Patris. Ridicula iterum foret locutio; si unum & idem fo-  
rent. Quia tamen ratione obiectorum aequè late patent, ita  
ut uno posito, statim ponatur & alterum, ideo promiscuè inter-  
dum usurpantur & pari ambulant passu.

XV.

III. Singularis est, quae ad Christum Solum pertinet,  
qui dicitur 1. Pet. 1. v. 20. προγνωσμεν & praescitus ante con-  
stitutionem mundi.

XVI.

Voluntas Dei ab essentia ejusdem tantum διαφορα differt,  
ac proinde, ut essentia Dei omnem respuit compositionem & di-  
visionem; ita & voluntas. Distinguitur tamen docendi caus-  
sa. I. In simplicem, quae nudam ejus notat θέλησιν, & compre-  
hendit etiam eas res, quae non sunt. Sicut Deus vult omnes  
homines σωφρονως κτλ. δικαιοσ κτλ. & σωβωσ vivere Tit. 2. v. 12.  
quod tamen proh dolor à maxima hominum parte non fit: &  
in voluntatem & doniωσ κτλ. προθεσιωσ, secundum quam dici-  
mur electi. Ita ergo haec sequuntur. Deus aliquid vult; voli-  
tum proponit, propositum decernit.

XVII.

II. In antecedentem & consequentem Antecedens vo-  
luntas dicitur, ut spectatur tantum in Deo, certum salutis or-  
dinem constituente. Quae voluntas tamen non est absolute  
universalis. (Quod enim Deus absolute vult, id fiat necesse  
est) sed limitatè. Consequens vocatur ut spectatur & in ho-  
minibus, prout illi voluntatem Dei, in Evangelio propositam  
vel amplectuntur vel reiiciunt. Secundum hanc facta est ele-  
ctio: unde ultro patet; Illam non esse universalem, quia non  
omnes homines voluntatem illam Dei amplectuntur.

Ele-



XVIII.

Electiois vox quinq; primaria in sacris habet significata. I. metonymice significat ipsos electos Rom. 11. v. 7. II. approbationem & dilectionem rei eximia Esa 58. v. 5. Gen. 23. v. 6. Luc. 23. v. 35. & alibi. III. selectionem & separationem vel hominum; vel aliarum rerum ad certum aliquem finem & usum Deut. 12. v. 5. II c. 17. v. 10. 2. Sam. 24. v. 12. Joh. 6. v. 70. IV. Electionem alicujus populi & vocationem ad Ecclesiam Deut. 7. v. 6. quæ vocatur electio ad gratiam, de qua etiam Rom. 9. & 11. V. Specialissime significat electionem fidelium ad vitam æternam, factam ante constitutionem mundi, quæ à Theologis vocatur electio ad gloriam. Et hæc significatio hic attenditur.

XIX.

Inde duo quasi flunt porismata. I. Eligendi vocem includere quandam separationem sive rei sive persone, quæ ab alijs secernitur, & ad peculiare quid seligitur. II. Electionem præsupponere gratuitam dilectionem, à qua semper præcedit.

XX.

Prædestinatio  $\omega\rho\rho\epsilon\iota\sigma\ \mu\acute{o}\rho\varsigma\ \grave{\alpha}\ \omega\rho\rho\epsilon\iota\zeta\epsilon\upsilon$ , quod latini dicunt prædestinare, præfinire, significat, antequam quicquam fiat, ad certos fines idem ordinare.  $\omega\rho\zeta\epsilon\upsilon$  enim finem seu terminum significat. Hinc  $\omega\rho\zeta\epsilon\upsilon$  terminare, destinare, quod est firmo animi decreto per certa media dirigere.  $\omega\rho\rho\epsilon\iota\zeta\epsilon\upsilon$  pro vel prius determinare I. Cor. 2. v. 7.

XXI.

Hinc iterum duo manant axiomata. I. Prædestinatio & finem ipsum & media ad finem illum ducentia complectitur. II. Prædestinatio tantum est ad vitam, non ad mortem.

XXII.

Falsum proinde est, Prædestinationem sub se comprehendere electionem & reprobationem, quod vult corpus Orthodoxæ doctrinæ Ursini & Pareip. 341. quibus contradicit in eadem schola



schola Keck. in system. Theol. p. 296. Locus act. 4. v. 28. nobis non obstat, cum in eo non de aliqua hominum infidelium ad aeternam damnationem reprobatione, sed tantum de decreto & praedestinatione mortis & passionis Christi agatur. Patres tamen nonnunquam voce hac in laxiori usus esse significatu, ex nostris Theologis nullus unquam iuit inficias.

XXIII.

Synonyma ejus in sacra scriptura sunt Electio, quam cum praedestinationis termino aequè late patere, & synonymon ejus esse, ita ut omnes electi sint praedestinati; & contra: constat ex Eph. 1. v. 4. ubi apostolus utrumque vocabulum eodem plane sensu verbis immediatè connexis usurpat, & utrumque, & electionem & praedestinationem, ab aeterno factum esse asserit. Consentit Keckerm. in system. Theol. p. 297.

XXIV.

Aequipollet eidem In LIBRUM VITAE inscriptio. Soli n. electi dicuntur inscripti, & contra: & qui non sunt inscripti, dicuntur damnari Apoc. 13. v. 8. c. 17. v. 8. c. 20. v. 12. 15. Luc. 10. v. 20. & alibi.

XXV.

Evolutis hoc modo & determinatis vocabulorum significationibus, definitionem Praedestinationis ponimus talem. Praedestinatio sive electio est decretum voluntatis divina consequens, quo antejacta mundi fundamenta non secundum opera, sed ex mera sua gratia & misericordia in Christo juxta propositum & praenotionem ad salutem aeternam ordinavit homines virtute Spiritus S. per Evangelij praedicationem perseveranter credituros in laudem gloriosa gratia sua.

XXVI.

Praedestinationem esse decretum Dei patet ex Eph. 1. v. 5. ubi dicimur praedestinati secundum  $\delta \delta \omicron \lambda \iota \alpha \nu \tau \delta \delta \epsilon \lambda \eta \mu \alpha \lambda$  &  $\text{Ier. 2. Tim. 1. v. 9. } \kappa \alpha \tau \alpha \iota \delta \iota \alpha \nu \tau \omega \epsilon \theta \epsilon \sigma \tau \omicron \nu$  secundum suum propositum: Et quidem decretum hoc est aeternum juxta apostolum Eph. 1. v. 4.

Elegit



Elegit nos in Christo  $\omega\epsilon\acute{o}$   $\eta\alpha\tau\epsilon\lambda\omicron\lambda\eta\varsigma$   $\kappa\acute{o}\sigma\mu\alpha$  antequam jacerentur fundamenta mundi, 2. Tim. 1. v. 9.  $\omega\epsilon\acute{o}$   $\chi\epsilon\acute{o}\nu\omega\nu$   $\alpha\iota\omega\nu\iota\omega\nu$  ante tempora aeterna. In tempore tamen nobis per Evangelium (non per legem, quippe quae iram operatur Rom. 4. v. 15.) est revelatum Joh. 6. v. 40. Quod enim propositum Dei, & quae gratia nobis per Christum manifestata est in Evangelio, idem est propositum aeternum, & eadem gratia nobis data est in Christo Jesu ante tempora aeterna. Est enim exquisitissima conformitas inter propositum Dei sive decretum aeternum, & inter ejus executionem.

#### XXVII.

Unde hunc Canonem tanquam Cynosuram & Helicem, ad quam totus de hoc mysterio cursus respiciat, ponimus; quo observato in erroris avia non declinare poterimus; nempe: Quomodo & ordine Deus nos in tempore salvat, eodem & non alio modo & ordine ab aeterno nos salvare decrevit. Et contra. Non enim alia sunt justificationis; alia praedestinationis causae, sed eadem planè. Deus enim est immutabilis: & quemadmodum non essentiam, ita nec mutat sententiam. Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 28. Malach. 3. v. 6. Quo uno diligenter observato, totum illud horribile de absoluto decreto dogma corruet.

#### XXVIII.

Decretum hocce Dei esse mediatum & ordinatum, non absolutum, patet dilucidè ex causis, decretum hoc ingredientibus, & in definitione expressis.

#### XXIX.

Harum prima efficiens & principalis est Sola gratuita Dei voluntas. Eph. 1. v. 11.

#### XXX.

Hic sequentia probe notanda veniunt porismata. I. Gratuita

B

tuita



tuata Dei voluntas non potest considerari extra Christum. Iratus enim Deus nos non elegit, sed placatus. Placari alio modo non potuit, quam per plenariam justitiæ suæ satisfactionem. Huic satisfieri non potuit, nisi à solo Ιησους Χριστο mediatore Dei & hominum, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, ut emphaticè loquitur Apostolus 1. Tim. 2. v. 5, 6.

XXXI.

II. Gratia hæc Dei est indeterminata & universalis, non determinata & restricta tantum ad electos, ut volunt illi, qui absoluto patrocinantur decreto: non ita; sed ad totum genus humanum se extendit; verum apprehenditur & applicant illam sibi soli credentes. Confer. Rom. 11. v. 32. Gal. 3. v. 22. 2. Pet. 3. v. 9. 1. Tim. 2. v. 4. Ezech. 18. v. 23. c. 33. v. 11. Hinc DEUS toti MUNDO misit Filium Joh. 3. v. 16. non solis electis: posuit super eum iniquitates OMNIUM NOSTRUM non solum electorum Esa. 53. v. 6. Rom. 5. v. 18. 2. Cor. 5. v. 18, 19. & Christus iussit predicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem in OMNES GENTES Luc. 24. v. 47. & sonus verbi prædicati exivit in OMNEM TERRAM & in FINES ORBIS TERRÆ, Psal. 19. v. 5. Rom. 10. v. 18. & Evangelium prædicatum est OMNI CREATURÆ, quæ sub cælo est Coloss. 1. v. 15. præcepit omnes gentes baptizari Marc. 16. v. 15. iussit omnes bibere ex calice benedictionis Matth. 26. v. 27. Firmum igitur & inconcussum stat & in omnem stabit aternitatem Theorema: Quam latè patet Evangelium, tam latè patet hæc Dei gratia, tam latè patet Christi meritum, & omnia ejus beneficia.

XXXII.

Absit autem per omnem modum, ut existimemus hanc Dei voluntatem esse simulatam & fucatam; quin potius certo  
statu-



Statuamus, Deum nobis voluntatem suam maximè seriam re-  
velare. Imo usq; adeo seria est hæc Dei voluntas, ut Christus  
etiam lacrymis prosequatur largissimis impænitentiam & im-  
piorum interitum Luc. 19. v. 41. Mar. 3. v. 5. & gravissimè per-  
tinaciam illorum & οὐδ' ἠκούσθησαν ipsis exprobret Matth. 11.  
v. 20. 21. & seq. c. 23 v. 37. Act. 7. v. 51. Confer Form. Concord.  
p. 805.

XXXIII.

III. Gratia Dei opponitur operibus, non autem merito  
Christi & fidei. Proinde non ita licet concludere: Sola Dei  
gratia eligimur: E. non merito Christi; E. non fide. Quidni  
enim pari ratione licet colligere: Sola Dei gratia justificamur.  
E. non merito Christi. E. non fide? Quis hic elenchum opposi-  
torum, quo opponuntur ea, quæ non sunt opponenda, non videt?  
Semper ergo ob oculos versetur axioma supra th. 27. positum:  
Non alias esse electionis & alias justificationis causas, sed pror-  
sus easdem.

XXXIV.

Electiois causa *αἰτία* occasionem præbens est  
miseria lapsorum hominum; vel potius prævisio & consideratio  
miseria. Misericordia enim & gratia eligentis non habere  
potest locum, nisi præcesserit miseria. Et si electio sive præde-  
stinatio est decretum omnium primum, & causas alias omnes  
ante grediens, quomodo reprobi damnari poterunt, cum ubi  
nulla est culpa, ibi nullam quoq; locum habeat ira & justitia?  
Et quomodo soli electi potuerunt ad vitam æternam eligi, ad  
quam ab initio omnes homines in Adamo fuerunt creati?

XXXV.

Causa impulsiva interna seu *αἰτία* quæ com-  
motus fuit Deus ad eligendum homines, est solum meritum  
Christi FIDE APPREHENSUM. Christus enim est fun-  
damentum & regula electionis tanquam intercessor & media-



tor inter Deum & homines, & extra eum misericordia Dei in peccatores non est locus. Vide quæ ante dicta sunt th. 30.

XXXVI.

Hinc dicimur in ipso Electi Eph. 1. v. 4. per ipsum v. 5. Christus ipse elegit nos Job. 13. v. 18. c. 15. v. 16. Repetenda est enim perpetuo regula: Quemadmodum in Christo & propter Christum FIDE APPREHENSUM justificamur, & ipse nos justificat & salvat: ita in ipso & propter ipsum sumus ab aeterno electi: Perperam igitur à quibusdam quædam Apostoli: Elegit nos ἐξελεῖσθαι exponitur ita, ut simus in Christo, & in ipso & per ipsum habeamus vitam aeternam. Prepositio enim ἐν non raro per notat. Conf. Gal. 1. v. 16. Hebr. 1. v. 2. Act. 17. v. 28.

XXXVII.

Præter jam dicta confer ipsam scripturam, meritum Christi decreto electionis inclusum expressè affirmantem 2. Tim. 1. v. 9. Deus vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Christum Jesum ante tempora aeterna. Eph. 1. v. 5. 6. 7. 11. In quo enim & propter quem habemus redemptionem & remissionem peccatorum, per quem in sortem asciti sumus, in eodem & per & propter eundem etiam sumus prædestinati.

XXXVIII.

Meritum hocce Christi etiam est universale, quemadmodum & gratia Dei est universalis. Id quod firmissimè probari potest. Quod enim I. est totius mundi, II. omnium peccatorum, III. & illorum qui pereunt, adeoque damnantur IV. piorum & impiorum, illud est universale & non ad solos pertinet electos. Major firmo nititur talo. Subsumo. Christi meritum est I. totius mundi Job. 3. v. 16. Ubi mundus certè notat  
genus



genus humanum peccatis contaminatum, quem Christus divi-  
dit v.18. in credentes & incredulos. Et nullus locus scripturæ  
proferri potest, in quo mundi vox solos designat credentes seu  
electos. Conf. 1. Job. 2. v. 2. II. omnium peccatorum Rom. 5.  
v. 15. 18. 19. Coloss. 1. v. 19 20. III. Illorum qui pereunt  
Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. Hebr. 6. v. 4. 5. 6. c. 10. v. 29. 2. Pet. 2.  
v. 1. IV. Piorum & Impiorum. Quia enim Evangelium &  
Sacramenta sunt universalia; & cum ideo damnentur impij,  
quod meritum Christi sibi non applicuerint. & in eum credide-  
rint Job. 3. v. 18. ad illos utiq; pertinuisse necesse est. Cur enim  
ob abusum alienius rei damnarer, si legitimus rei usus nun-  
quam ad me spectavit; vel res ad me non pertinuit?

XXXIX.

CAUSSA INSTRUMENTALIS electionis est  
FIDES in Christum, per quam non propter quam sumus ele-  
cti: & quidem causa est non totius decreti, sed potius partis,  
nempe meriti Christi, quod fides apprehendit sibiq; applicat.

X L.

Qui propterea fidem negant non ingredi posse Electionis  
decretum; quia predestinatio sit ab aeterno, fides autem in tem-  
pore; illi pariter & unâ eâdemq; operâ negant, quem quam ho-  
minum esse electum, cum nullus ab aeterno fuerit.

X L I.

Fidem autem (qua sine merito Christi non potest nec de-  
bet considerari) ingredi electionis decretum, patet clarissimè.  
Ut enim in tempore ob applicatum fide Christi meritum justi-  
ficamur, salvamur: sic ob idem ab aeterno ad vitam aeternam  
sumus predestinati. Confer scripturæ dicta Ephes. 1. v. 12.  
2. Thess. 2. v. 13. Rom. 11. v. 20. 22. 23. qua de causa fides di-  
citur esse electorum Dei Tit. 1. v. 3. & electio facta dicitur se-  
cundum prenotionem Dei Patris 1. Pet. 1. v. 2. Rom. 8. 29. Quæ



prænotio sive præscientia referenda est ad meritum Christi fide apprehensum. Quos enim Deus ab æterno infallibili sua noticia prævidit sive præscivit per Evangelij auditum Spiritus S. gratia in Christum perseveranter credituros; hos & prædestinavit sive elegit ad vitam æternam.

XLII.

Unde facile intelligimus, fidem hanc esse illam perseverantem & finalem, non *ἀκούουσαν*, quæ est illorum, qui quidem ad tempus credunt & salvifica præditi sunt fide, sed postea rursus deficiunt. Sed qui perseveraverit usque ad finem, ille salvabitur Matt. 10. v. 22, c. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Hebr. 3. v. 6.

XLIII.

Hinc fluit illud Christi Epiphonema: Multi sunt vocati pauci verò electi Matt. 20. v. 16. c. 22. v. 14. & cur Electio non possit esse universalis. Quæ causa? Certè non Deus ipse, qui vult omnes salvos, qui omnibus misit Filium, omnes vocat per verbum: non Filius, qui pro omnibus sufficienter satisfecit; non Spiritus S. qui illud *λόγον* omnibus in Verbo & Sacramentis offert & in omnibus fidem libenter operaretur: vides omnes causas has esse universales: sed culpa est ipsorum hominum, qui adversus seipsos spernunt consilium Dei Luc. 7. v. 30. resistunt Spiritui S. Act. 7. v. 51. nolunt venire invitati ad regias nuptias Matt. 22. v. 3. 4. 5. 8. c. 23. v. 37. Luc. 14. v. 16. 17. 18. 19. 20. & seq. Proverb. 1. v. 24. 25. & seq. & quamvis ad tempus credant, deficiunt tamen iterum Luc. 8. v. 13.

XLIV.

Nervosè hæc Formula nostra Concordia explicat p. 807. Quod multi, inquit, vocati sunt: pauci verò electi; ejus rei causa non est vocatio divina, quæ per verbum fit, quasi hæc Dei sit sententia: Ego quidem vos, quibus verbum meum propono,



propono, externè per id verbum omnes voco ad regni mei cæ-  
lestis participationem: at in corde meo non de omnibus seriò  
ad salutem vocandis, sed de paucis tantum cogito. Voluntas  
enim mea hæc est, ut major eorum, quos per verbum voco,  
pars neq; illuminetur neq; convertatur, sed condemnetur, atq;  
in æterna morte maneat, etsi per verbum meum, quo vocantur,  
aliter illis mentem meam declaro &c. Hoc esset Deo contra-  
dictorias voluntates affingere, quasi is, qui æterna veritas est,  
secum ipse dissentiret, aut aliud loqueretur, aliud vero corde  
premeret. Et p. 808. 809. Pauci verbum Dei seriò recipiunt,  
eiq; sincerè obtemperant; major pars contemnit verbum neq;  
ad regias illas nuptias vult comparere. Multi quidem ver-  
bum Dei initio magno gaudio recipiunt, sed postea rursus defi-  
ciunt, & à sancto Dei præcepto rursus & quidem perulantèr  
se avertunt.

XLV.

Ex quibus constat, falsissimum esse causam extra Deum  
nullam dari posse, cur hic eligatur, alter non eligatur. Scriptu-  
ra satis apertè hanc detexit, ita ut ad absolutum aliquod de-  
cretum confugere nullatenus opus sit.

XLVI.

Nec tamen inde exsculpi potest, nos nostro aliquo merito  
aut dignitate à Deo eligi, cum nihil horum sit in nobis; sed  
omnia & ipsa fides sit ex mera Dei gratia & opus Dei Joh. 6.  
v. 29. ita ut pius homo verè cum Apostolo dicat: Gratia Dei  
sum quod sum, nempe ab æterno electus, in tempore vocatus,  
justificatus &c. 1. Cor. 15. v. 10. Conf. Rom. 9. v. 11. 12. c. 11.  
v. 5. 6. 2. Tim. 1. v. 9. Et quemadmodum Pelagianismum non  
facit, si cum Scriptura dico: Me per fidem justificari: pari-  
modo Pelagianum dicere non poteris, si cum eadem, me ab æter-  
no per fidem electum esse dixerò.

OB-



XLVII.

OBJECTUM igitur Electionis non sunt vel ipse Christus vel Angeli, sed homines, verum enim verò non omnes, neq; integri ante lapsum supra th. 34. sed peccatores, neq; hi quidem omnes, sed ex istis illi soli & omnes, qui juxta Dei propositum & præscientiam per ministerium Evangelij **CONSTANTE** sunt in Christum humani generis Salvatorem credituri 1. Tim. 1. v. 16. 2. Theß. 2. v. 13. 1. Pet. 1. v. 1. 2. Act. 15. v. 18.

XLVIII.

FORMA prædestinationis in adoptione, in certa illa <sup>in</sup> ordinatione decreti consistit, quam octo gradibus describit liber Concordia p. 802. nempe Deus in suo consilio & decreto decrevit, ut humanum genus verè redimeretur, atq; cum Deo per Christum reconciliaretur; qui nobis innocentia atq; perfectissima obædientia, passione & morte acerbissima justitiam quæ coram ipso valet, & vitam æternam promeruit. II. Ut Christi meritum ejusq; beneficia per Verbum & Sacramenta nobis offerrentur, exhiberentur & distribuerentur. III. Decrevit etiam, se Spiritu S. per verbum annunciatum, auditione perceptum & memoria commendatum, velle in nobis efficacem esse, & corda ad veram pœnitentiam agendam inflectere & in vera fide conservare. IV. Illius æternum propositum est, quod omnes, qui pœnitentiam verè agunt, & Christum vera fide amplectuntur, justificare, in gratiam recipere & in filios & hæredes vitæ æternæ adoptare velit. V. Et quod fide justificados in vera charitate sanctificare velit, ut Apostolus testatur Eph. 1. VI. Idem in æterno suo consilio proposuit, se justificados etiam in multiplici & varia ipsorum infirmitate adversus Diabolum, mundum & carnem defensurum, & in vijs suis deducturum atq; gubernaturum: & si lapsi fuerint, manum  
supposi-



suppositurum, ut in cruce atq; tentationibus solidam consolatio-  
nem percipiant, atq; ad vitam conserventur. VII. Illius eter-  
num decretum est, quod opus illud bonum à se in illis inceptum  
promovere atq; confirmare & ad finem usq; conservare velit:  
si modo verbo ipsius tanquam Scipioni constanter innitatur,  
ipsius opem ardentibus precibus implorent, in gratia Dei per-  
severent, & dona accepta fideliter & bene collocent. VIII. Ille  
item in aeterno suo consilio decrevit, quod eos quos elegit, voca-  
vit, justificavit in altera aeterna illa vita salvos facere &  
aeterna gloria ornare velit.

XLIX.

Finis electionis respectu nostri est gloria, salus & vita  
aeterna. Unde electio dicitur facta ad vitam aeternam Act. 13.  
v. 48. 1. Tim. 1. v. 16. 2. Theß. 2. v. 13. Rom. 8. v. 29. 30. Eph. 1. v. 5.  
respectu vero Dei est laus gloriosa sua gratia Eph. 1. v. 6. 12.

L.

Fructum electorum eorumq; officium notat Apostolus  
Eph. 1. v. 4. quando electos nos esse dicit, ut simus sancti & ir-  
reprehensibiles. Cum enim per electionem ad imaginem Dei,  
quam per lapsum amisimus, reducamur, planum est omnibus  
electis sancte pieq; vivendum esse, ut conspicuum sit filios esse  
conformes Patri caelesti Matth. 5. v. 16. 48. & alibi passim.  
Hoc enim officium primario dependet à creatione. Qui igitur  
sunt sancti & irreprehensibiles, illi sunt electi non qui esse de-  
bent, alioquin omnes essent electi, quod est Huberianum.

LI.

Nota electorum habentur Joh. 10. v. 27. Oves meae vocem  
meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & Rom. 8.  
v. 30. ubi Apostolus nominat vocationem, justificationem, glo-  
rificationem, ita ut homo pius de salute sua, quam Deus ita dili-  
genter & fideliter ab aeterno procuravit, certissimus esse possit,  
quod

C

quod



quod ipsum neq; mors, neq; vita, neq; Angeli neq; principatus  
neq; potestates, neq; instantia neq; futura neq; altitudo neq; pro-  
funditas neq; ulla alia creatura possit separare à dilectione Dei,  
qua est in Christo Jesu v. 39. ubi nota emphasin verbi Aposto-  
lici  $\omega\pi\epsilon\sigma\mu\eta\iota$  Conf. F. C. p. 810.

LII.

Electi tamen gratia Dei totaliter excidere Spiritum S. &  
fidem amittere possunt, sed non finaliter; alioquin nunquam  
essent in numero electorum, quos nemo potest rapere de manu  
Christi Joh. 10. v. 29. ideoq; cum timore ac tremore salutem  
suam jubentur operari Phil. 2 v. 13. & si lapsi fuerint (cum  
nemo hominum sit, qui non labatur 1. Reg. 8. v. 46.) per veram  
penitentiam & fidem rursus virtute Spiritus S. ad Deum se  
convertere & in viam redire.

LIII.

Numerus electorum quamvis hominibus sit incognitus, &  
nullus dicere possit, quinam & quot in hac vel illa Ecclesia sint  
electi; siquidem electi sunt Ecclesiae invisibilis membra: respec-  
tu tamen praescientiae vel potius omniscientiae divinae (non  
verò respectu fatalis alicujus aut absoluti decreti) ita certissi-  
mus est, ut quemadmodum ipsa praescientia Dei est immutabi-  
lis, ita & numerus electorum augeri minui vel alterari ne-  
queat 2. Tim. 2. v. 19. Joh. 10. v. 27. 28. 29. & 17. v. 11. 15. 16. 24.  
F. C. p. 812. Inter hos ut & nos simus, & omnes ita vivamus,  
quo electionis nostrae certi esse valeamus, faxit Trinitas ille  
& nos praedestinans Deus, cui sit honor, laus &  
gloria in secula seculorum

Amen.



Ad





*Ad præstantissimum ac literatissimum  
Dn. RESPONDENTEM.*

**Q**uomodo res dubiæ sapientis pectora vexent,  
Non eget, ut multâ nunc ratione probem.  
Quippe libri singlis occurrunt cuiq; diebus,  
Qui nudis verbis id nitidisq; docent.  
Exemplo inprimis Domini valet esse voluntas,  
Cujusvis scimus qua cupisse bonum:  
Nec cupisse bonum tantum, jutare sed illud  
Maximè: at ô utinam quisq; sibi arriperet!  
Sed quoniam Dominum nolunt audire vocantem  
Multi, electorum pars quoq; parva Deo est.  
**CHRISTOPHORE** hocce doces missis cænoq; fimoq;  
Te Salvatoris dogmata ferre juvat.  
Mente præis **ALTA** sapiente, magisq; fideli  
Sepositis falsis dogmata vera probas.  
Hinc igitur verum, tu nanciscere salutis  
Portum; olim cæli te domus alta manet.

*Περσφιλωσ, faciebat*

*M. Jacobus Engelbrecht.*



**E**gelidum gratâ vice veris ver redijt, radijsq;  
Jam Titan plantas vivificat calidus  
Tuq; paras mortem lolio, **CHRISTOPHORE** docte,  
Veraq; dum promiss dogmata, falsa necas.  
Perge ô perge manu sarrure operarim euge,  
Exoptatus eris, vinitor atq; bonus.

*Amico suo certo & sincero  
l. mq; facieb.*

*M. Jacobus Gerhardi  
Coibergî - Pom.*


**ALTUS**





















Farbkarte #13

B.I.G.

*Explicatio*  
*ius Articuli*  
 DE  
**CERNA**  
**LUM DEI**  
**ÆTERNAM**  
 INATIONE,  
 Formula Chri.  
 cordiæ petita.  
 M M M I J E H O V Æ  
 N  
*Sima Rosarum Academia*  
 RÆSIDIO  
 I ET CLARISSIMI  
**QUISTORPII**  
 SORIS ET ECCLESIASTÆ,  
 FICI & Spectabilis DECANI,  
 etatèm venerandi.  
*ov subijcit ventilationi*  
**RUS ALTUS**  
 is Francus.  
*Magno ad diem 6. April.*  
 D C H I I  
 Typog. Anno M. DC. XXII.

